

798.

1737

47

19

ORDINIS IVRIDICI
IN
ACADEMIA VITEMBERGENSI
H. T.

DECANVS
IO. GODOFREDVS
KRAVS, D.

DIGESTI INFORTIATI ET NOVI
PROFESSOR PVBLICVS, CVRIAЕ
PROVINCIALIS, ET SCABINATVS
VITEMBERGENSIS, NEC NON IVDICII
PROVINCIALIS INFERIORIS
LVSATIAE ASSESSOR

LECTORI BENEVOLO
S. P. D

iure iurando ^{de} Christianis lictio

GO
YEBEN
DE
IO. GOSPERIAS
I. ZAY
DOMINI NOSTRE
TRANSFORMA TIONIS
CONTRACTUS
IUSTITIA MODERATORIA

793.



ullum iuramentorum usum fuisse, si in statu innocentiae ac integritatis homines permanissent, ex eo satis patet, quod homines ad imaginem DEI conditi, et in statu integritatis positi, ob concratam iustitiam ac veritatem simpliciter ex se et sua natura mutuam sibi fidem praestitissent. At corrupta, per deplorandum Protoplasmum lapsum, hominis natura, consecutisque in locum pristinæ veritatis ac iustitiae perfidia atque mendaciis, opus deinde fuit remedio, quo naturae huic corruptae aliquo modo succurreretur, et omnis de veritate dictorum promissorumque dubitatio tolleretur. Coepit inde iuramentorum usus, qui enim iurato aliquid affirmat, fidei suae testem adhibet Deum καρδιογνώσην, gravem periurii vindicem, ideoque per hanc iuramat confirmationem praesumtio veritatis et fidei excitatur, cum tam impius iudicandus est nemo, ut DEI, quem iurans voluntatis suae testem invocat, quem fraudis ultorem facit, indignationem in se exposcat. Agnoverunt hoc ipsi Ethnici, recta tantummodo ratione dueti, qui, teste CICERONE Lib. III. de officiis nullum vinculum maius aut arctius adadstringendam fidem esse iudicarunt, quam iuriurandum, illudque esse ultimam

timam fidem inter homines, quam nulla aetas delectat, quia per iurata pacta sponsores adhibet Deos. Pertinet hoc
CVRTIVS Lib. VII. Cap. 8. qui de Scythis, gente barbarica, sequentem in modum scribit : *iurando gratiam Scybas sancire ne credideris : colendo fidem iurant.* Graecorum ista cautio est, qui asta consignant, & Deos invocant, nos religionem in ipsa fide novimus. Qui non reverentur homines, fallunt Deos. Vtrum vero iis, qui Christi nomen profissentur, iurare liceat, exinde nonnulli dubitare solent, quod primum ipse CHRISTVS Matrb. V. v. 34. afferat : *ego vero dico vobis, Cutilur autem hic translatione SANTIS PAGNI-NI) ne iuretis omnino, neque per coelum, quia thronus DEI est ; neque per terram, quia scabellum est pedum eius ; neque per Hierosolymas, quia urbs est magni Regis ; neque per Caput tuum iurabis, quia non potes unum capillum album aut nigrum facere.* Esto autem sermo vester : *Etiam Etiam, non non ; quod autem supra haec redundat, a malo est.* Deinde, quod qui Christi nomen non tantum nomine, sed & re ipsa ac vita sua testantur, ita vivere debeant, ut veritatem moribus & sermone omni colant, atque a mendaciis fallen-dique studio adeo sint alieni, ut vel unico uerbo idem, quod decem alias iuramentis, fidei praestent. Quibus quidem ex causis descendere videtur, quod monente BOEHMERO in Iure Ecclesiast. Protes. Lib. II. Tit. XXIV. §. 15. scriptores primitivae ecclesiae passim professi sint : *Christianis iura-re nefas esse.* At enim vero & ipsos inter Christianos iuramentorum usum certo modo & nullo iure reluctantate tolerari, eosque adhuc hodie, urgente id amore in alterum & necessitate & interveniente imperantis auctoritate, aut iusti iudicis, salva ac illaesa conscientia asserta sua iureiurando confirmare posse, exinde concludere licet, quod ipse Deus in sacris literis DEUT. XXIII. v. 23. LEVIT. XIX. v. 12. EXOD. XX. v. 12. & passim iuramentorum usum probavit, atque sub horum vinculo asserta vel promissa servanda gra-viter preecepit, CHRISTVS vero hunc in mundum non venit,

venit, ut novas ferret leges prioresque abrogaret, quod nec citato loco *Matth. V. v.34.* facit, sed saltem dicto loco falsam Phrisaeorum doctrinam, qui ex lege Mosis college-
rant regulam, *semper & ubique licite & laudabiliter iurari posse*, reprehendit, & rem in pristinum statum reducendo, aliam regulam, Phrisaeorum effectae contrariam, format, neutquam vero legem Mosis, quae in casibus modo addu-
ctis exceptionem sub se continet, abrogat atque tollit. Qui enim regulam ponit, exceptiones reieciisse non videtur,
sed eas tacite subintelligit. Et sic minime negat **CHRI-
STVS**, cum in praesenti statu corrupto simplici assertioni hominum tuto credendum haud sit, iuris iurandi exactio-
nem & praestationem tunc etiam fugiendam, & tanquam actum illicitum damnandam esse, quoties amor proximi, ut in testimonio ferendo, iuratam confirmationem efflagitat,
aut auctoritate Principis vel iussu Magistratus ea imponitur,
iis praeprimis in casibus, ubi iuratam assertionem aut confirmationem, vel necessitas quaedam singularis, vel alia ratio probabilis svadet pariter atque exigit. Hunc in mo-
dum patres passim Dogma **CHRISTI** interpretati sunt, in-
ter quos **AVGVSTINV S a GRATIANO C. 2. & 5. Caus. 22.**
Q. 1. adductus, referendus est: quo & pertinet **LVTHERI** nostri annotatio ad dict. v. 34. *Matth. V.* sub voce **Schwehren** ubi dicit: Alles Schwehren und Eyden, ist hie verbothen,
das der Mensch von ihm selber thut. Wenns aber die
Liebe, Gebot, Noth, Nutz des Nahesten oder Gottes Eh-
re fordert, ist es wohl gethan, gleichwie auch der Zorn ver-
bothen ist, und doch loblich, wenn er aus Liebe, und zu
Gottes Ehre erfordert wird. Sicuri etiam dubium, quod
ex particula ἔλως, in saepius adducto loco **MATTHAEI** ob-
veniens laudatus **BOEHMERVS** d. l. f. 14. eruditus destruit,
& quod exinde contraria sententia minime corroboretur,
fusius deducit. Id tamen facile concedimus, iuramenta, nul-
la urgente necessitatis causa, nec exigenda, nec praestanda
esse, sicuti hoc recte inculcat Pontifex **INNOCENTIVS III.**

Cap. XXVI. X. de iure iur. Temerarius enim iuramentorum abusus, cum DEVS in testem veritatis & perjurii vindicem invocatur, profanationem Nominis divini, contra gravissimam secundi praecepti in Decalogo prohibitionem, sub se continet, & per eiusmodi temerarium iusiurandum crimen laesae Maiestatis divinae aequa, ac per ipsum perjurium, committitur. Optime hinc monet *COVARVVIAS ad Cap. quamvis de paclis in Gto* non esse absque summa necessitate, nec nisi super rebus maximi momenti, ac tanta religione dignis iurandum, ut taceamus crebriori rei usu, ea magis magisque vilescat. Peccant tamen & ii, qui a praefundis iuramentis prorsus abhorrent, & metu divini Numinis ad superstitionem usque sunt timidi. Cum enim, ob hominum maliciam, simplici eorum assertioni fides iis aliter haberi nequeat, nisi ea iure iurando confirmetur & obsignetur, eiusmodi relutantes non solum amorem, proximo debitum, sed & statum publicum laedunt, propterea, quod veritatem occulitorum suppressimunt, & ne suum cuique tribuatur, efficiunt. Confirmat haec *VLPIANVS in L. 8. pr. ff. de condit. insit.* asserens, neminem in praefundis iuramentis aut nimis facilem contemtu religionis, aut metu divini Numinis ad superstitionem usque timidum esse debere. Sed plura his adiicere desisto, cum potius more institutoque Maiorum Lectori benevolo Candidatus noster ornatissimus ac in Iuris arte versatissimus doctissimusque *D.N. IOANNES GVLIELMVS STRVIVS Francobusanus* commendandus sit. Petuit non ita pridem ab Ordine nostro, quo sibi honores atque insignia Doctoralia cum privilegiis iis cohaerentibus rite conferrentur, atque ad utrumque Examen quod subeundum est iis, qui hos honores expectant, admissus, promptitudine respondendi talem se praefitit, ut communis consensu concluderetur, peritis eius honestis deferendum esse. Vitae suae gesta ipse sequenti modo delineavit.

Ego,

Ego, IOANNES GUILIELMVS STRVVIUS, ortu
 Francobusanus, prognatus IOANNE CHRISTIANO STRU-
 VIO, apud eosdem Francobusanos senatore, natus dieu. Noveimb.
 A. 1711. ex IVSTINA SOPHIA, CASPARIS LINDE..
 MANNI, Senatoris, filia, usus sum parentibus maioribusque ho-
 nestis. Atque ex eo statim, quo ex pueris excessi, tempore, inter
 caetera dulcis parentum amoris vestigia, illud, quo me puerum
 iisdem, quibus puerilis aetas impertiri solet, litteris, imbui cura-
 runt, recordor in primis ac reminiscor. Tradidit enim & com-
 mendavit me ne infancia quidem maiorem parens, per decenni-
 um fere, in disciplinam privaram Domini IAEGERI, fungentis
 iam Francobusae publico Con-Rectoris Munere ac officio, cuius
 dexteritas opera eque, quam mibi inde a prima aetate dedit, assi-
 duitas, ponenda est mibi omnino in laude eximia. Sub idem vero
 tempus, quo ille praeceptor meus praefectus Conrectoris officio, se
 ad munus pensumque suum revocabat, incidit aetas mea, in ea,
 quae mibi gratulor, tempora, quibus Vir Summe Reverend. Dn.
 KLUGIVS, uunc S. S.Theol. Doct. & Eccles. Vitemb. Archi-Diac.
 zum vero temporis LL. Artium Magister, veniens Vitemberga, &
 praepositus Rectoris Muneri, Lyceum omne, quod Francobusae est,
 ad curam suam transtulit. Quem cum audiuerim per aliquot
 annos, docentem, delectantem, & permovecentem discenitum animos,
 affuetus iis, quae ad humanitatem pertinenter, litteris, doctrinisque
 ad concipiendam sapientiam praeparatus, lenam profectus sum,
 A. 1729. ad mercaturam quasi bonarum artium, & ductus, Philo-
 sophiae, & Legum, studio operam dedi STOLLIO, KÖHLERO,
 REVSCHIO, & HAMBERGERO pariter ac BEKIO, BRVN-
 QVELLIO, BVDERO, DIETMARO, DRESSELIO, Viris
 uersatissimis in philosophia, legum scientia, & antiquitatum mo-
 numenatis, iisdemque artis suae Rosciis. Elapso fere quadriennio,
 redii domum, & remotus a turba & subiectis discenitum in stu-
 diis semper aliquid cognoscendi, otium tempusque unius anni
 conterendi, eodemque transmesso, ad Musas revertendi, tum tem-
 poris quidem mibi erat animus, sed & tentatus quodam adversae
 valitudinis genere, & interveniente parentis morte differendus
 erat

erat discessus in tempus aliud. Ipse igitur demum mibi reddi-
tus annos, & quod excurrit, abbinc duos, ad animum reversus
pristinum, veni Vitebergam, & per biennium institutus hic
praeceptoris monitisque summorum ICtorum, in primis vero Illustr.
DN. LEYSERI, quem submisse veneror & Magnifici DN.
CRELLI, Fautoris summopere Colendi, facto nunc periculo
mei, summos in iure utroque ambo honores. In quibus obri-
nendis, ut, quae supersunt, omnia succedant ex sententia, in vo-
tis habeo.

Restat, ut iam superatis reliquis, ultimum eruditio[n]is sua[re]
legalis specimen edat, atque sub Moderatione Viri illustris
atque Magnifici, Domini AVGVSTINI LEYSERI, Iuris
Consulti excellentissimi, in Regis Poloniarum & Principis Electo-
ris Saxonis aula Consiliarii, Consistorii Ecclesiastici Directoris,
Curiae Provincialis ac Scabinarus Affectioris primarii & Ordin-
nis Iuridic[i] Ordinarii longe gravissimi Dissertationem de di-
scrimine iuris iurandi affectionis in infinitum ac immensum ad
L. 4. §. 2. ff. de in item iur. proprio Marte a se conscriptam,
tueatur atque propugnet. H[ab]ebit eam proxime futuro
Die Iovis. Quem actum solennem, ut Magnificus Acad-
emiae nostrae RECTOR, illustrissimi DN. COMITES,
PATRES CONSCRIPTI Givesque Reipublicae nostrae
literariae addicti, ac omnes, qui studiis favent, honorifica
sua praesentia ornare eumque illustriorem reddere velint,
Collegii & Candidati nostri, meoque nomine, omni, qua
possum, observantia peto ac rogo simulque pro hoc singu-
lari benevolentiae genere, me pariter atque Candidatum
nostrum ad mutua quaevis studia, officia atque obsequia ob-
stringo. P. P. Dominica HI. Adventus Christi
Saluatoris nostri, Anno MDCCXXXVII.

VITEMBERGAE
TYPIS IO. DAVIDIS SCHEFFLERI.

Wittenberg Diss. 1737

W.W.



56.

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13

8
7
6
5
4
3
2
1
Inches
Centimetres

1721
11
13
**ORDINIS IVRIDICI
IN
ACADEMIA VITEMBERGENSI
H. T.**

**DECANVS
IO. GODOFREDVS
KRAVS, D.**

DIGESTI INFORTIATI ET NOVI
PROFESSOR PVBLICVS, CVRIAЕ
PROVINCIALIS, ET SCABINATVS
VITEMBERGENSIS, NEC NON IVDICII
PROVINCIALIS INFERIORIS
LVSATIAE ASSESSOR

**LECTORI BENEVOLO
S. P. D**

iure iurando Christianis licto

